


J 6
3874

Nov. 36.

Abb. 36.



LIBELLVS. DOC.
Martini Lutheri, de
Sacramento Eucha
ristiæ, ad Valden
ses fratres, è ger
manico trans
latus per. I. Ionam
VVittembergæ

ORNATISS. IVRE CONSVLTO. D.
IOHANNI RVELEISLEBIAE, CO
MITVM MANSFELDEN. A
CONSILIIS. AMICO. S.
IVSTVS IONAS

Gratiam & pacem in Christo. Cum quidam eorum, qui nunc de Eucharistia docent, negantq; ibi sub pane esse corpus Christi, incredibili teneantur studio huius doctrine quam latissime spargendæ, & tot libris editis, non mediocriter turbent Ecclesias, interim eo quoq; euaserunt, ut incipiant iudicare alienas conscientias, & quasi ipsi de sua sententia plusq; certi sint, fortiter pronuntiare, neminem hactenus constanter & serio credidisse, aut credere hoc potuisse, esse scilicet sub pane corpus Domini, adeoq; Lutherum ipsum, & illius sectatores diuersum sensisse & sentire, ausint profiteri. Qui noui doctores, ut admonerentur, q̄ multum sibi sumant, & quam periculosa arrogantia ibi se iudices alienæ conscientie faciant, uerti è Germanico libellum Lutheri, ante triennium ad Valdenses fratres, editum, & conscriptum, tunc cum Lutherus etiã, (ut non è usq; adeo præ illis neophytus,) minime oscitanter uersaretur in illo Eucharistiæ negotio expendendo, ad reducidos in uiam, si forte errarent, Valdenses fratres, Ex quo satis ap-



tis apparet, quemadmodum hodie sentit, sic & tūc
sensisse Lutherum, cum nē suspicari quidem posset
illam factionem exorituram. Dignus .n. est libellus
hic, qui non tantum germanice legatur, in quo breui-
ter & simpliciter uera de Eucharistia sententia ad-
struitur, quem & illi, tot libris uarie in hoc the-
mate rhetoricati, nondum diluerunt. Hoc autem Lu-
theri opusculum, quamuis, (uti in bonis scriptis fieri
solet) posthabitu, eò libentius latine rursus edidi,
ut rationem redderem meæ fidei. Legi .n. aduersari-
orum libellos, germanicos & latinos, qui certe nul-
lam conscientiam sic certam reddunt, ut non scrupu-
lus ille maneat in animo. Quid si fallant omnes istæ
cogitationes? Clarum uero & simplex uerbū Dei fal-
lere non potest. Video eos ueterum scriptorum locos
Augustini. Cypriani. Hieronimi. Chrysostomi. Irenei.
Hilarij &c. qui non obscura pro ueritate suffragia
ferunt, sic cupide & callide trahere ad partes suas,
ut eo ipso reddant se & causam suam non parum
suspectam.

Video ad hæc eorum libros multos & uari-
os ipsosq; , tanquam e suggesto perorare bonis
laterib. at ubi dicta, scripta, sunt q̄ plurima, ubi tot
clepsydre exhaustæ, ubi & copiose & plausibiliter
poratū est, audiui rhetores, audiui homines sua huma-
na ἐνθυμήματα mihi afferentes. At simul atq; libe-
rū rursus Euangeliū aspicio, mox planius, apertius
A ij & sim-

Et simplicius audio Dominum Et Deum meum Christi-
stum loquentem. Accipite, edite, hoc est corpus meum.
Et c. Hoc facite in mei commemorationem.

Quae simplicissima uerba, si passi fuerimus, aliter
atque sonant, exponi, non parua fenestra aperietur, sin-
gende Et refingenda scripturae, pro arbitrio con-
tendentium. Proin si uotis, quicquam proficeretur, opta-
rim quosdam illius dogmatis assertores, alias uiros,
sane doctos Et minime malos, reduci posse in uiam,
nisi forsitan prorsus obduruerunt. Quemadmodum
scriptura praedicat, fore sectas, praesertim nouissimis
temporibus, ut hi qui probati sunt, manifesti fiant. Ad
te uero mi Doctor ornatiss. mitto illum libellum

Lutheri longe optimum, Et nunc maxi-

me necessarium, a me latine utcum-

que redditum, ut habeas, quo

animum tuum Et tuo-

rum in tanta

uarietate

Et doctorum Et doctrinarum communitas. Bene

Vale in Domino

Saluta Io. Agricola nostrum, scholae Islebiae
na professorem doctissimum

VVITTEMBERGAE

die Simonis Et Iudae

M D XXVI

Dilectis

DILECTIS IN CHRISTO AMICIS
FRATRIBVS VALDENSIBVS IN
BOHEMIA ET MORAVIA
GRATIA ET PAX
IN CHRISTO



IRcumfertur libellus, quem uestri sym-
mysta germanice, nunc & Bohemice
ediderunt ad instituendos in summa
Christianismi pueros. In quo inter re-
liquos articulos & ille continetur, Christi corpus
sub Eucharistiae Sacramento non naturaliter contine-
ri neq; ibi esse adorandum. Quod dogma uestrum,
nos Germanos non mediocriter commouit, neq; enim
ignoratis, quomodo uos p uestros legatos rogaueri,
ut huic articulo, de quo uos paulo obscurius discre-
uidebami, iusto sup hoc libello edito, lucẽ adderetis.

Nam cum coram a uestris illis legatis audissem,
uos Valdenses hoc uno ore confiteri, CHRISTI
sanguinem & carnem ueram, quæ ex Maria nata est
& pependit in ligno, uere sub sacramento contineri,
id quod nostrarum Ecclesiarum quoq; constans con-
fessio est, mirabar in libello diuersum asseri. Nunc
uero libellus uester a .D. Luca mihi transmissus est
latine translatus, sed tamẽ adhuc in articulo illo obscu-
rior, quam ut ex eo certo & plane intelligere pos-
sim, quid doceatis, aut quæ summa sit uestre senten-
tia, Proinde & a me (quãq; id uobis eram pollici-

A ij (15)

us) haftenus germanice in publicum non est editus.
Verebar ne in tali obscuritate uerborum alibi exci-
derem ab eo quod plane sentiretis, Cum alias satis
negocij habeant satisq; sudent interpretes, etiam ubi
certo constat de sententia, ut satis proprie & plene
omnia reddant, quemadmodum ego germanice iam
transferens Biblia quotidiana disco experientia.

Sed ut eius disputatiois aliquis sit finis & scandalū
germanici illius libelli uestri a uobis editi tollatur ac
sopiatur, publico hoc scripto, quam possum simpli-
cius & clarius, exponam hunc de Eucharistia arti-
culum, quid nos Germani credamus & quid etiam se-
cundum simplitia uerba Euangelij & Christi creden-
dum sit, Ex quo deinde colligere poteritis, an nostra
doctrina uestrae sententiae consentanea sit & quatenus
uobis nobiscum conueniat, Fieri enim potest, ut me-
um germanicum uos clarius intelligatis q̄ ego uestra
haftenus latine & germanice scripta. Ad haec uestros
legatos obnixè rogauī, ut si plures articuli essent.
quib. uestris fratrib. parum nobiscum conueniret, ne
protinus se nobis hostiliter opponerent, a qua con-
tentione & nos essemus nobis temperaturi, sed poti-
us utrinq; daretur opera, ut alteri alteros primum
candide & simpliciter de sua setenntia differētes au-
dirent, si forsā τὸ αὐτὸ φρονεῖν Christianum in-
ter nos conseruari posset, Memini quidem uos a me
olim Hereticos appellatos, tunc cum adhuc non nihil
triberem

eribuerē Papae, nūc uero aliter erga uos affectus sum.

Sed tamen quid mihi in uestro dogmate probetur aut improbetur, in sequentibus, explicabo. Quod uero ad summam Christianismi attinet, in quo pietatis summam sitam putemus, cognoscere uobis licet in libello Philippi Melanctonis, cui titulus loci communis, Ille libellus totam summam Christianismi simpliciter & breuiter complectitur, & totum nostrum dogma argumentis & locis scripturae astruit, id quod & prima apologia uestra in Valdensium doctrina facit. Puto tamē aliquid uos in nostri Philippi libello, quēadmodū & nos in uestra apologia, desideraturos.

Primum saepe à nobis hoc nec uno loco dictum est, uim, efficaciam, & summam huius sacramentis sitam esse in Christi uerbo cum dicit, ACCIPITE EDITE, Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur etc, Similiter & accepto calice dixit, Bibite ex hoc omnes, Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorū. Hoc facite in mei cōmemorationem. In illis uerbis tota uis sita est Sacramenti, Haec uilibet Christiano imprimis cognoscēda sunt & accurate expēdēda, ne patiamur nobis hoc eripi aut per ullam doctrinam à simplicitate horum uerborum nos abduci, etiam si Angelus de caelo diuersum doceret, Sunt enim haec uerba uitae & salutis. Et qui ea credit, huic per talem fidem omnia peccata sunt remissa, hic est filius Dei,

A iij Huius

Huic peccatum, mors & infernus deuicta sunt. Ne-
mo uero uerbis assequi potest, quanta sit uis illorum
uerborum & quam summam complectantur totum
Euangelium, quā deniq; sunt ipsum Euangelium, ip-
sa uirtus & Dei potentia. Proinde multo magis edi-
ficat in pijs, expendere & fide apprehendere hæc
uerba, q̄ occupari in honore externo Sacramēti, quāq̄
ibi per Papistas omnia sunt inuersa, qui celarunt
populum hæc uerba, & ad pompam & cultum exter-
num Sacramenti seduxerunt, id quod nihil fuit, quam
fidem extinguere, & hypocrisim externi operis cir-
ca Sacramentum inducere. Igitur secundum differenti-
am & uim horum uerborum etiam honor metiendus
est, qui impendi debeat Sacramento. Si enim his uer-
bis minus honoris impendis q̄ ipsi Sacramēto, certum
argumentum est, te non intelligere penitus uim Euchā-
ristiæ, Proin si poplite flexo aut nudato uertice ue-
neraris Sacramentū & non idem aut etiam plus hono-
ris habes uerbis Sacramenti saltem corde & affectu,
tūc iā planissime inuerteris honorē debitū sacramēti.

Ex re igitur esset pietatis & necessarium, si
consulere uelis conscientijs, homines à Sacramento
reuocare ad uerba, ut assuescerēt multo magis uerba,
q̄ ipsum Sacramentū consyderare, deinde facile esset
differere de honore impendēdo Sacramento. Si uero
hoc nō fiat, nihil profuerint aliæ paræneses, quo inte-
rim homines neglecto spiritu & fide, toti sunt in ex-
terno illo

terno illo & hypocritico cultu Sacramēti, in illis genti-
culationibus & adorationibus quæ nihil ad rem faciūt.

Honor autem impendendus his uerbis etiam du-
plex est, Primus externus, ut illa uerba maiusculis
literis auro aut argento expressa, purpura & gemmis
conuestita custodiantur, Deinde ut longo uocis tractu
cantentur aut tanq̄ sacrum mysterium cælentur, quæ-
admodum hætenus stulte & impie factū est, Sed talē
stultū & plane puerilem honorē non moratur Deus.
Hic uero germanus honos est, quem Deus requirit,
ut illa uerba per fidem cordi insidant. Cor enim, &
intimus animi affectus, uere gemmatum & aureum
receptaculum est horum uerborum, quo longe splen-
didior honos exhibetur, q̄, si uel Sacramentum arcaulis
totis gemmeis & aureis circumferres. Nam hoc certum
est, quod etiā sola fide absq; Sacramēto (modo nō con-
tēnas) saluari possis, sine uerbo Dei autē & Euangelio
non potes saluari, etiam, si quotidie non modo ter
(quæadmodū sacerdotes papistæ in nocte Christi sole-
bant) sed etiam una hora ter quaterue cōmunicares.

Corde autē tenere hæc uerba nō uoco, ut cognoscas
tātū, aut ea mediteris in animo & rumines. Sed ut hoc
serio & ex animo sentias de illis uerbis, tantiq; ea faci-
as, quanti per sese sunt. Nempe, ut serio credas &
sentias, esse hoc uerbū Christi, esse uerbum Dei uiui,
æternum, omnipotens, potens te uiuificare, beare, libe-
rare à peccato, morte & inferno, dare uitam æternā,

A 5 Nempe

Nempe quod sit uerbum potentiae Dei, afferens se-
cum hoc quod sonat, Christum scilicet eiusq; carnem
& sanguinē, afferens omnem illam uitam, uictoriā
& peccati & mortis, omnia bona quae sunt in Christo
& quae sunt Christus, Verbū .n. Dei tale uerbū est,
quod haec talia & tanta omnia potest & efficit, prout
& Deus uult, ut hāc ueritatē de eo sentiamus. Et hic ē
uere magnificus, uere dignus honos, huic uerbo & Sa-
cramento exhibitus, alias nullum honorem moratur.
Et in summa, uerus honor Sacramento debitus nihil a-
liud est q̄ uera fides quae illis uerbis, ut certissima &
uerissima uoci Dei, tota proiecta in Deum, inritatur
& adheret, sciens se his in aeternum seruari.

Haec fuit nostra sententia & est in hūc diem de hoc
Sacramento, Sed ut eo planius nos intelligatis & capi-
atis, latius hanc rem prosequemur, & recitabimus q̄
uarię sectę, & q̄ uarij spiritus hac sententia offensi
sint, & licebit hic cognoscere, q̄ fieri nequeat, ut quis
in recta uia sanę doctrinę maneat, nisi quis uerba
simplicia Dei & scripturę reuerenter tractet & his
solis firma fide adheret cū timore & tremore.

Primum quidam fuerunt, qui senserunt in Sacra-
mento hoc nihil aliud esse q̄ panem & uinum, quem-
admodum alias pane cibario uescimur & uinum bibi-
mus, & nihil tribuerūt huic Sacramento q̄ quod pa-
nis significet corpus & uinum significet sanguinem
Christi, haud aliter atq; si aliam figuram ex ueteri
testamento

testamento exponerem, & dicerem manna quod ederunt Israelitae in deserto significat corpus Christi seu Euangeliū. Sed māna non est corpus Christi aut Euangeliū. Vel si de bap̄tismo dicerē, Bap̄tismus est lauacrū aīe. i. Bap̄tismus nō lauat aīam, sed significat lauacrū aīe, ubi per fidem in uerbū Dei uerbo anima lauatur. Hoc senserunt de Sacramento illi, palam negantes ibi esse corpus Christi, & dicentes, quod panis tantū significet tanquam signum corpus Christi.

Ibi nunc uide ut caueas tibi Christiane lector, Sine rationem humanā & prudentiā carnis longū ualere, quae hic angitur & misere torquet sese, qui nam fieri possit, ut ibi sit corpus & sanguis Christi, & quia captū hoc excedit humanum resilit incredula & hoc totum pernegat, Tu uero firma fide apprehende hoc coeleste oraculum, hanc uocem Dei cum dicit Christus, Accipite, edite, hoc est corpus meum & c. hic est sanguis meus. Neq; enim nobis uermiculis ius est sic torquendi & uiolenter dilaniandi uerba Maiestatis, neq; sic scurriliter ludendum est in uerbis Dei, ut sine claris uerbis scripturae, uel unū uocabulum uel unum apicalum aliter uelis interpretari, q̄ natura & propria significatio uerborum habeat, Quemadmodum isti faciunt, Qui hoc uerbum (EST) plane obtorto collo eo pertrahere uolunt, citra ullum solidum testimonium scripturae, ut tantū ualeat quantū (significat) & induunt huic uerbo Christi plane & simpliciter prolato.

prolato, Hoc est corpus meum, hanc prodigiosam
personam, ut tantum ualeat (EST) .i. significat
corpus meum. Nos uero si pii sumus, debemus simpli-
cibus, clavis & planis uerbis Christi inherere, ille
nos non fallat, Huic uero errori & his hostibus nul-
lis alijs armis ire obuiam, q̄ ut respondeamus. Agite,
huc huc aures & oculos dormitantes aduertite, Chri-
stus non dicit, hoc significat corpus meum, sed hoc
(est) corpus meum,

Nam simul atq; hoc loco tulerimus uiolentam
interpretationem, ut quis sine manifesta scriptu-
ra hunc locum, hoc est (significat) interpretetur, quid
prohibet idem in alijs locis fieri? Et in hunc modum
tali fenestra aperta, labefactaretur facile tota scrip-
tura, nihil .n. subest cause, cur hoc potissimū illo loco,
& non alijs quoq; feramus. Et ex hoc mox sequuturi
essent, qui & alibi in hunc modum exponerent scrip-
turam, Maria est uirgo & mater Christi .i. signifi-
cat matrem Christi. Item Christus est deus & homo,
hoc est, Christus significat Deum & hominem. Item E-
uangelium est potentia Dei .i. significat potentiam Dei.

En qualis malorum illas, qualia portenta blasphemie,
hinc essent exoritura. Proim, si talis uiolenta in-
terpretatio, nullo loco scripture ferenda est, tunc nec
hic ferenda est, ut Est corpus, tantum ualeat, quantum
significat corpus, cum simplicia & plana uerba ibi
sint Christi, Hoc est corpus meum, Neutiq; inquam
talis

talis uerborū ferēda est, sed primū producēdi.
alij aperti & simplices loci scripture ubi, Est, pro sig-
nificat accipiatur. Si autem hic citent locū. 1. Corin. 10.
Bibebant autem de spiritali, quæ illos sequebatur pe-
tra, petra autem erat Christus, et dicant, hic Paulus
dicit petra erat Christus, & Moses tamen corporalē
percussit petram, de qua bibebant. Si igitur hic potest in
hunc modū accipi, petra erat Christus. i. petra signifi-
cabat Christum, cum utiq; Christus corporalis pe-
tra non fuerit, tunc etiam hoc loco possumus sic accipe-
re, Hoc ē corpus meū. 1. panis significat corpus meū.

Hic eis respondendum est, quod talis ipsorum
collectio in duobus peccat. Nam primum hoc non di-
cit Paulus, Christum esse corporalem petram, Nam
Paulus non dicit, quod petra, quam Moses percussit
Christus fuerit aut sit, sed uerba Pauli sic sonant.
Omnes eandem escam spirituales comedebant, Om-
nes eundem potum spirituales bibebant, Bibebant
enim de spiritali, quæ illos sequebatur petra, Petra
autem erat Christus. Nunc nos non uescimur corpora-
li māna, nec bibimus de illa corporali petra, de qua
Israelitæ in deserto biberūt, sed de eodē spiritali mā-
na edimus & de eadē spiritali petra, de qua illi bibe-
rūt & nos bibimus, quæ admodū & Paulus ipse sua uer-
ba declarat & dicit, bibebāt autē de spiritali, quæ il-
los sequebatur petra, q. d. Ego nō de corporali, sed
de spiritali petra sentio & dico, quæ erat sequutura,
& per

Et per hanc intelligo Christum, Christus. n. uera petra est et
uerum manna, de quo patres etque atque nos ederunt et
biberunt, Nam ipsi etque in Christum crediderunt atque nos.
Ibi uides quod Pauli uerbum ualde deprauarunt
et in patrocinium sui erroris traxerunt, Nam ue-
rum est, quod Paulus dicit, petra erat Christus. Non
quod illa spiritualis petra significet Christum, sed
Christus reuera erat illa spiritualis petra, quae per
corporalem illam in deserto significata erat. Proinde
et Paulus diserte addidit hoc uocabulum, spiritualis,
ad uocabulum petra, ne quis corporalem petram
intelligeret, Item Paulus dicit, petra quae sequutura
erat, de qua spiritualiter bibebant, Quod iterum non
potest intelligi de petra in deserto. Adhuc ausi sunt
illi Pauli uerbum rapere, ad defendendum suum dog-
ma, cum Paulus nihil obscure, sed simpliciter et claris
uerbis loquatur de spirituali petra. Et haec etiam est
petra de qua Christus dicit Matth. 16. Super illam
petram aedificabo Ecclesiam meam. Certum autem est,
Christi Ecclesiam super corporalem petram non esse
aedificatam, sed inaedificatam et supstructam esse
Christo per Euangelium, ibi est firmo fundamento
nixa, et contra omnem uim portarum inferi immota
perstat.

Alterum, in quo ipsorum peccant Enthymemata,
eiusmodi est, Ponamus sane, ostendisse eos quod hoc
loco Pauli uel alibi, hoc uocabulum (EST) accipi-
atur

atur pro significat, (quod tamen nondū ostenderunt)
adhuc tamen non bene colligerent. Nam si inueniam
aliquod uocabulū, uno loco scripturæ aliqua significati
one figurata præter naturalem significationem accipi, non
protinus mihi liberum est, pro mea libidine, neglecta
significatione propria, ubiq; tropum facere. Exem=
plum Matthei 16. Christus uocat se petram, Quid
esset absurdius, si nunc Christum intelligere uellem
ubiunq; uocabulum petræ occurreret in scripturis?
E contra, In petra corporali quam Moses percutit in
deserto, iterum absurdum esset quod ex illo scriptu=
ræ loco, decimum sextum caput Matthæi uelim intelli
gere de corporali petra. Quid igitur hic faciendum
est? Respondeo, Vocabula scripturæ accipere de=
bemus secundum literam & natiuam significationem
nisi alio nos cogat, absurditas & talis absurditas que
cum fide pugnet.

Exemplum, Hoc uocabulum petra Matthei .16.
deberet plane intelligi in sua natia significatione scil.
pro corporali petra, sed absurditas me cogit & a=
uocat ab illa literalis significatione, ut cogar intelligere
spiritualem petram, Absurdum .n. et plane contra
fidem est, si dicas Ecclesiam Christi ædificatam esse
in corporali Petra, Proim quando hic dico petra e=
rat Christus, ibi hoc uerbum est uel erat non potest
accipi, pro (significat) Christum. Sed Christus est
reuera petra spiritualis, Econtra quando loquens de
petra

petra in deserto, sic dicerem, Christus est ipsa petra
in deserto, ibi cogeret me absurditas, quæ ex lite-
rali sensu sequeretur, intelligere uel falsum, uel Est
pro significat. d. st. Christus est significatus per pe-
tram in deserto. Nam absurdum est, & plane contra
fidem, ut Christus, qui est Deus & homo, sit cor-
poralis petra.

Sic & hic, quando contendunt panem non esse
corpus CHRISTI, sed significet corpus. Euiden-
ter ostendere debent, quomodo hoc sic absurdum sit,
ut palam pugnet contra fidem, panem esse corpus
CHRISTI, & uinum esse Christi sanguinem. Cum
similia etiam in naturalibus rebus reperiamus, ubi
in eadem re duæ sint substantiæ. De candenti enim
ferro uere dicere possumus. Hoc ferrum est ignis,
& iste ignis est ferrum. Et non, Hic ignis signi-
fiat ferrum, aut hoc ferrum significat ignem.

Quemadmodum etiam de Christo dicimus, Iste
homo est Deus, & non, Deus significat hominem,
uel hic homo significat Deum. Cum igitur nullum hinc
absurdum oriatur, quod palam pugnet contra Dei
uerbum aut fidem, si dicam panem esse corpus Chri-
sti, tunc uerbum (Est) relinquendum dico esse in
sua natiua significatione, & debemus ei tenaciter
adherere, ut manifesto uerbo Dei, quo clare dicitur
Hoc est corpus meum, nec ulli creature ibi cedere,

Alter error hoc agit, ut illa duo uocabula Corpus,
& sanguis

Et sanguis etiam inuertat, Et totius illius textus sententiam refingat Et commutet, nempe in hunc modum, ut illa uerba, Hoc est corpus meum, eiusmodi quid significant, id est, Quando hunc panem editis, Et hoc uinum bibitis, tunc participatis Et communicatis corpori meo, ut sic Sacramentum hoc nihil aliud sit, quam communio corporis Christi spiritualis, cui inseramur, ad quam significandam Et exercendam, has ceremonias panis Et uini CHRISTVS instituerit, ut certum signum eius, quod ibi geritur, Et exercetur, scil. q. Christi corpori inserimur, Et cum ipso unum corpus spirituale efficiamur.

Hoc uero est callidum commentum, Et innititur eius modi fundamento, Scriptura Christo duplex corpus tribuit, unum naturale, quod de Maria uirgine natum est, Aliud spirituale, quod est tota congregatio credentium Et electorum, cuius spirituale caput est Christus, haud aliter atq; uxor Et maritus una caro sunt, Et maritus est caput uxoris, de quo Paulus Rom. 12. Et 1. Corinth. 12. Et alijs locis disserit.

Illi igitur, uerba Christi, cum dicit, Hoc est corpus meum, eo trahere uolunt, ut sit sensus. id est. communicatio corporis mei, Et arripiunt ad hoc locum Pauli 1. Corinth. 10. Unus panis Et unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus. Item ibidem, Calix cui benedicimus, nonne

B communicatio

communicatio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Ibi putant Paulum uerba Christi exposuisse, cum dicit, Hoc est. n. corpus meum, & dicunt esse sententiam, id est, hæc est communicatio corporis mei, hoc est, qui hunc panem edit, is edit non meum corpus, sed communicationem corporis mei, ut, scilicet, meo corpori (quod non est in Sacramento, sed alias pro nobis traditum, nunc in coelis sedet) cum alijs credentibus inseratur, Sic ut edenti hunc panem, communicentur omnia, quæ Christus & corpus suum spirituale habet, facit & patitur, nõ ex uirtute editi panis, aut sumpti calicis, sed talis diuinæ promissionis. quemadmodum aqua baptismi lauat animam, non ex uirtute aque, sed ex uirtute diuinæ promissionis, sic sonantis, Qui baptisatus fuerit, & crediderit, saluus erit & c.

Talia argumenta, tales argute & confictæ cogitationes magnam quidem speciem habent apud humanam rationem, & facile fucum fecerint simplicibus, si protinus ius facere uelis, hæc & similia afferentibus, uerba Christi & Pauli, pro libidine sua iuxta sui animi sonia, fingendi & refingendi, At hoc non est Christiane docere, quando sic meas præceptas cogitationes ad ipsam affero scripturam, & deinde ad illas scripturæ uerba torqueo, Cum potius oportuit primū habere simplicia uerba scripturæ, & ex illis colligere

colligere, ac secundū illamoderari meam sententiam.

Quæ.n. (malum) hæc audacia & impudentia est, sic eludere uelle uerba Christi? Quis ferat, aut bona conscientia ferre possit, ut uox hæc cœlestis, hoc Christi oraculum, Hoc est .n. corpus meum, sic ab homine deprauetur, Hæc est communicatio corporis mei, Cum hoc sine uerbo, sine scriptura, sine Christo, tantum ab hominibus dicatur, & longe diuersissima sint illa duo, tum in re, tum in uerbis, Hoc est corpus meum, & hæc est cōmunicatio corporis mei.

Cum igitur hæc uerba, Hoc est corpus meū, quod pro uobis traditur, tam clara & simplicia sint, & hūc sensum asciticium nullo pacto ferant, neutiq̄ toleranda est hæc opinio. Nam & Paulus ipse cum in .10. cap. illa uerba de communicatione posuisset, in .11. cap. redit ad uerba Christi, & dicit hoc ipsum, pene eisdem uerbis quod Christus, Ego .n. accepi à Domino, quod tradidi uobis, quoniam dominus Iesus in ea nocte qua tradebatur, accepit panem, gratias agens, fragit & dixit, Accipite, & edite, Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur, hoc facite in meam commemorationem.

Hæc uerba simplicissima & propria probant, quod non solum spirituale corpus Christi ibi sit, sed & naturale. Nam spirituale corpus non est pro nobis traditū, sed naturale corpus ē pro spiritali corpore, quod est Ecclesia, traditum.

B ij loco

loco hominibus, ut per uocabulum corpus, commu-
nicationem spiritualis corporis accipiant? aut ut pro
sua libidine & temeritate, contra tam aperta &
clara uerba scripturae, sine uerbo pugnent?

Si autem hic ad locum Pauli confugiant, cum di-
cit, Panis, quem frangimus, nonne communicatio
corporis Christi est? Respondeo. Non satis est,
ipso dicere, posse hunc locum sic ipsorum modo
intelligi, sed id etiam certis argumentis oportet osten-
dere, debere hunc locum sic & non aliter accipi. Nam
in causis tam grauibus, nempe salutis & consciētiarū,
oportet niti certis fundamētis. Et nō est satis in re-
bus tam serijs, si dicas, posse sic accipi, cū posse & de-
bere longe diuersissima sint. Te uero, quicumq; contra
simplicia uerba pugnas, ostendere oportet, debere
in hunc modum & non aliter accipi. Interim uero,
q; hoc non ostendis, nihil urget neq; probat, locus ille
aut sententia tua. Nam facile potest & huic loco
Pauli alia sententia, cogitando inueniri, quae tuam
tibi expositionem incertam reddat, & tunc tu quoq;
prostratus, uictus iaces, & cogaris sententiam tuam,
ut incertam relinquere.

Nam quid si aliquis, etiam afferens suas cogita-
tiones, loci huius Paulini sententiam dicat esse eius-
modi, scilicet, q; Paulus ibi non loquatur de institutione
Sacramenti, sed tantum de usu & fructu eius? ut
sit sententia, Quemadmodum hi, qui uescantur Idolo-
thytis

thytis, participes fiunt Idolorum. Et quemadmodum sacerdotes in lege, qui de sacrificijs edunt, participes sunt altaris. Sic & nos, quando edimus de pane, quod est corpus Christi, etiam participes efficimur corporis Christi. Sicut ibi non expressum sit, quid sit ille panis & ille calix, (quod postea. cap. ii. dicit) sed quid sit hoc edere & bibere illius panis & calicis, nempe communicatio corporis & sanguinis.

Vt maxime nunc urgeant hunc locum Pauli, tamen prohibere non possunt, ne dicamus, Paulum ibi non docere, qualis panis, aut quid ille panis sit. Sed quid sit frangere, edere & bibere illius panis & calicis, ut qui cogitarit Corinthios iam scire, qualis panis sit, de quo loquatur, quod & ipse ii. cap. explicat. Huic sententiae ualde uidentur seruire uerba, cum dicit, Panis, quem frangimus, quasi dicat, Nos etiam habemus panem, quemadmodum scitis, quem alias nullus populus habet, & qualis panis sit, etiam scitis, sed quando edimus hunc panem nunquid ita est, q̄ participes efficimur corporis Christi? Quare igitur participes essetis demoniorum?

Quemadmodum & paulo post dicit, Unus panis & unum corpus multi sumus, Omnes qui de uno pane & calice participamus. Ibi etiam non dicit, quid sit ille panis, sed quid per eum nobis conferatur. Nunc

B iij eam

eam sententiam attuli ut infirmam, quam tamen ipsi
non possunt confutare, neq; suam contra hanc tueri.
Proinde is locus Pauli, non usq; adeo fortiter pug-
nat pro ipsis. Nam uera & germana sententia illius
loci Paulini haud dubie eiusmodi est, Panis quem
frangimus communicatio corporis Christi est. id est.
quando hunc panem edimus, tunc accipimus omnes,
non ex ara panem simplicem, sed corpus Christi.

Et si talem sententiam impugnent & dicant, Com-
municatione corporis Christi uult Paulus, q; omnia
bona Christi, & quæ Christus sanguine & oblati-
one corporis sui impetrauit, nobis communicentur,
quemadmodum hi, qui Idolothytis uescuntur, com-
municant maledictioni, & omnibus malis, quæ de-
mones habent. Ista quidem per se est uera & bona
sententia, sed huc non proprie pertinet, neq; quicq;
ipsorum causam sustentat, neq; per hoc, nostra sen-
tentia est euersa, aut quicq; ostensum, quo minus sit
ibi corpus Christi.

Quod autem locus Pauli, de Sacramentali com-
municatione intelligendus sit, ostenditur ex eo, quod
Paulus dicit, Panis, quem frangimus, nonne commu-
nicatio corporis Christi est? Nam frangere haud du-
bic est ibi, tractare Sacramentum, dando & distribu-
endo. Proinde & loquitur de communicatione, quam
distribuentes Sacramentum habent. Nunc distribu-
entes Sacramentum, non omnes habent spiritualem com-
municationem

communicationē corporis Christi, etiā si omnes Sacramen-
talē habeant. Quare & illius loci Paulini hæc est
sententia. Panis, quem frangimus est communicatio
corporis Christi, Ebraico more, fractio panis est par-
ticipatū corpus Christi, pro participatio corporis
Christi, ut simplicissime itelligas hæc uerba, Panis, quē
frangimus est participatū, uel distributū corpus Chri-
sti. Et sic locus ille Pauli nostrā sententiā confirmat, &
plane cōsonat uerbis Christi, Hoc ē corpus meū & c.

Si autem sua opinione cedere nolunt, neq; nostram
sententiam probare, sinamus eos ualere. Nos arte eis
locū Pauli incertum reddidimus, imo plane ē manibus
extorsimus & nihil est eis de hoc reliquū, nisi q; eo li-
benter suam opinionem confirmarent, & tamen non
possunt. Si uero putant sibi à nobis non esse satis-
factum, certi sumus nos, multo minus nobis esse satis-
factum, hac incerta sententiā unici illius loci Paulini.
Cum nos pro nobis, claros locos trium Euangelistarū,
& unum item clarissimū Pauli habeamus, Ad hæc illū
locū, panis quem frangimus, lōge simplicius enarratū,
q̄ ab ipsis. Neq; enim satis est, si dicant tantum, per
hunc locum Pauli suam opinionem probari, sed oportet
hoc bonis argumētis ostendere, & nostrā sententi-
am sic confutare, ut ostendant, ibi non esse corpus
Christi. Hoc uero facient ad Calendas græcas. Nā ibi
simplicia & clara uerba sunt, pro nostra sententiā,
Proinde ipsorum sententiā iacet.

B iiij Sic nunc

Sic nunc uerum est, nos Christianos esse corpus Christi spirituale, esse unum panem, unum potum, unum spiritum, idq; totum in Christo, & per Christum, qui nos suo corpore & sanguine redimens, omnes fecit unum spirituale corpus, sic ut omnes ipsius corporis participes sumus & inuicem unius corporis membra, adeoq; in ipso unum simus. Item quia de uno pane, & uno calice participamus, tunc & hoc ipsum efficit, ut & unus panis, & unus potus inuicem simus.

Et haud aliter atq; membra in corpore naturali, mutuo sibi seruiunt, ita etiam mutuo nobis cibus & potus simus, id est, mutuo pij pijs communicant in omnibus rebus, sic, ut quilibet sit aliorum cibus & potus, sic, ut inuicem simus merus cibus & potus, quemadmodum Christus nobis est cibus & potus. Quibus uerbis Paulus naturam gratiae Christi, communionem sanctorum, & opulentiam fidei & charitatis depingit, quemadmodum & huius rei naturalis panis & uinum typi sunt.

Nam ex multis granis, mola contusis & comminutis, unus panis conficitur, & quodlibet granum amittit suam speciem, & abit in communem farinam. Ita & ex multis uuis torculari expressis, unum uinum conficitur, & quaelibet uua amittit suam speciem, & fit unus succus, & unum uinum. Sic & Christus factus est nobis omnia, & nos inuicem (si modo

modo uere pij sumus) facti sumus omnibus omnia.
Quod igitur unus habet, est aliorum, Quando gau-
det unum membrum, gaudent omnia membra. De quo
alibi satis abunde dixi.

Tertius error est, In Sacramento non manere pa-
nem, sed tantum speciem panis, & mutari substanti-
am. Sed illa res non est tanti momenti, modo credatur
ibi adesse uerum corpus, uerusq; Christi sanguis.
Papistæ tamen de illo themate uarie rixati sunt, hodi-
e q; rixantur. Illis protinus impius & hereticus est,
qui non hoc ineptum somnium stultorum monacho-
rum, primum à Thoma Aquinate in orbem inue-
ctum, & pontificum auctoritate probatum, pro
fidei articulo habet, nempe, q; ibi fiat transsubstan-
tiatio.

Sed quia ipsi hoc tantopere urgent, tantum quod
libeat eis talia comminisci, sine uerbo, sine scriptura,
Nos magnifico contemptu illius uani & stulti dog-
matis, sentimus manere ibi panem & uinum, &
tamen adesse corpus Christi. Interim feremus pati-
enter, si ab illis somniatoribus Sophistis, heretici
appellemur. Euangelium enim, Sacramentum, panem
appellat, sic, ut ille panis, sit corpus Christi. Ab hoc
uerbo uel tantulum non discedimus, Hoc satis nobis
certum est, contra omnes cogitationes, & Sophi-
starum somnia, ut nobis quoq; panis uocetur, quic-
quid Euangelium panem uocat. Si illo uerbo fallimur,

B 5 Nostrum

nostrum sit periculum.

Quartus error & omnium longe nocentissimus, & foedissimus est, quem Antichristus, nempe Papa cum suis, in orbem inuexit, qui ex hoc Sacramento, sacrificium & bonum opus fecerunt, quo dogmate totum mundum dementarunt, & tot fana, tot coenobia, monasteria, templa, altaria, & totum Papisticum regnum statuerunt.

Hæc est illa papistarum cauponatio & questus, longe uberrimus, quo Missam, tanquam sacrificium, & bonum opus uendiderunt, Hinc satisfactiones, hinc illæ preces pro uiuis & mortuis, & totus ille quotidianus missarum strepitus inductus est.

Callido consilio hætenus Satan hoc dogma scilicet esse sub Sacramento corpus & sanguinem, passus est permanere, etiam apud Papistas, scilicet, ut illa cauponatione, Christus ab ipsis multo indignius tractaretur, multo foedius conspueretur, quam inter manus Iudeorum, in medio blasphemantium & subsannantium in domo Caiphæ. Non enim tam atrociter peccata commissa essent, si prorsus negassent ibi papistæ esse corpus domini, quemadmodum nec illi tam grauiter peccauerunt, qui Christum non crucifixerunt, ut Iudæi, qui Christum ad se missum, occidebant,

Quantum nunc contra hunc errorem sæpe ante fortiter pugnauerim, sed tamen hic quoque, de hoc, re
posceme

poscente, breuiter aliquid perstringam. Ad uitan-
dum hunc tam horrendum errorem, oportet tenaci-
ter adhereas huic uerbo, Accipite, edite, hoc est
enim corpus meum. Hoc uerbum enim complectitur
totum Euangelium, ut clare uideas, non sonare
hoc uerbum de ullo sacrificio, aut bono opere, sed
de gratuito dono, quod Christus nobis ultro offert,
nos uero fide apprehendimus & accipimus. Quæ
uero hæc (malum) peruersitas est & extrema amen-
tia, Christus iubet te accipere, & tu uis dare & of-
ferre? Quis tam sit demens, aut sic extreme insaniat,
ut dicat Deo, offero tibi tuum uerbum? Neq; dicere
poteris ulli homini, offeram Deo uerbum suum pro
te. Sed si uere intelligis uim illorum uerborum, tum
certe dices, Domine cum tu dicas te donare, tunc ego
non aspernor munus diuinum.

Quemadmodū enim ex Euangelio nō potes facere
opus aut sacrificium, ita nec ex hoc Sacramento, nam
hoc Sacramentum est ipsum Euangelium. Proin,
hic nemo pro alio quicquam potest operari,
sed requiritur, ut quisque propriam fidem ha-
beat.

Quemadmodum uerba Euangelij nemo potest
pro alijs credere, neq; enim unum apicem E-
uangelij pro alio audire aut credere possum, quem-
admodum nec pro alio baptisari. Bona opera

ACTO

uero possum facere alijs, & pro alijs, Imo debeo illa
facere alijs, alias non sunt bona opera. Possum pro te
orare, tibi inseruire, tuæ necessitati subuenire, pro te
affligi.

Longe differunt, bona opera & fides, & tam
sunt diuersa, q̄ arbor & fructus, Fructus pere-
unt, & quotannis renascuntur, arbor uero ma-
net semper. Fides semper manet, opera transeunt.
Tam misere hac Satanae doctrina impositum est nobis,
ut ibi queramus bona opera & fructus, ubi oportuit
fidem & arborem, ipsamq; radicem querere.
Proin uide, ut maneat in uia, & non patiari
tibi uerbum Dei, ullis uerbis hominum, q̄uis
magnorum, eripi, siue Augustinus sit, siue Hie-
ronymus, siue Angelus de caelo, Christus praedicat
fore, ut seducamur, etiam electi. Quare nulli-
us sancti uerbis, sine scriptura, credendum est.
Satis diligenter admonuere nos Christus & Apосто-
li, & quotidiana experientia discimus, sanctos er-
rasse, & errare posse.

Si uero hic uociferantur aduersarij, & magnis cla-
moribus intonēt, nos blasphemos esse in Sacramētum.
Respondeo. Nos ob id ipsum negare, ibi esse sacrificiū
aut bonū opus, ne simus in uerbū Dei blasphemī, &
cum ipsis idem incidamus iudicium. Magnus contemp-
tus est Sacramenti, quando non plus ei tribuitur, q̄ bo-
nis operibus, cum nullū bonum opus possit à peccato
liberare

liberare, nec gratiam, uitam & salutem conferre.

Hoc uero Sacramentum confert uitam, gratiam, & salutem, cum sit fons uitae & salutis. Hæc nunc satis sint de erroribus, in hoc Sacramento. Nunc de instituto, & de adoratione tractabimus.

DE ADORATIONE SACRAMENTI

Iohannis .4. interrogat mulier Samaritana, ubi adorandum sit, Cui Christus respondet & dicit, Veniet hora, quando nec Hierosolymis, neq; in hoc monte adorabitis patrem & c. Venit autem hora, & nunc est, quando ueri adoratores, adorabunt in spiritu & ueritate. Nam tales adoratores requirit pater, Deus spiritus est, quare adorandum est, in spiritu & ueritate.

Ex his uerbis Christi patet, duplicem esse adorationem. Vnam externam & corporalem, & alteram spirituales. Externa adoratio est, Quando certum externum locum deligo, ut quando in templo, aut coram altari procumbens, flexo poplite, aut nudato uertice, eleuatis in coelum oculis, mouens labia, aut tundens pectus, ostendo reuerenter me agnoscere Deum pro domino. Hanc adorationem reijcit hic Christus, quando eo animo fit, quasi sola per se satis sit, sine spiritali adoratione, aut Deo placeat, quem
admodum

admodum Iudaei putabant. Vbi autem spiritualis adoratio coniuncta est, ibi uera est adoratio. Quemadmodum Patriarchae, Prophetae, Apostoli, & omnes sancti adorauerunt.

Quod autem Christus dicit, neq; Hierosolymis, neq; in hoc monte adorabunt patrem, reijcit certe omnia externa loca, Sed tamen, ut relinquat libera, & sic liberet conscientias, quasi dicat, Volo, ut in posterum nullus externus locus necessarius sit, ubi adoretur, quemadmodum uos dicitis Hierosolymis esse adorandum, aut in hoc monte, sed omnes loci erunt nunc liberi ad adorandum, quod haecenus non fuit. Vbi igitur adest spiritualis adoratio, ibi potes etiam externa adoratione uti, siue sit Hierosolymis, in hoc monte, siue domi, siue foris, Grati. aut Persia. Haecenus autem religio erat alibi adorare, q̄ Hierosolymis, aut uersus Hierosolymam & templum, ubi uis gentium essent Iudaei.

Vbi nunc externa adoratio sola est, ibi mera hypocrisis est, & nihil q̄ subsannatio Dei, & exhibetur Deo honos nihilo melior, q̄ illorum fuit, qui flectentes genua coram Christo dicebant, Aue rex Iudaeorum. Cum enim ibi non sit spiritualis adoratio, fieri nequit, ut externa procedat ex corde & affectu, cū autem ex animo non fiat, tantum ridetur Deus, Et tamen his ceremonijs, hoc genere adorationis, omnia
templa

templa, monasteria, breuiter, omnes anguli pleni
sunt, & totus cultus papistici regni nihil aliud fuit
q̄ assidua subsannatio, sub hac uoce, Aue rex Iudeo-
rum. Cum enim tot sint templa Cathedralia, Col-
legiata, & plures monachorum sectæ, q̄ auium
species, tot cœnobia, tot altaria, tot sacella, ta-
men in his omnibus, uix inter mille unum reperias,
qui spiritali adoratione Deum honoret, omnes uero
ex æquo rideant & subsanniant externa hac hy-
pocrisi.

Et potissimum sic ridetur Christus & Deus,
festo paschatos & corporis Christi, in omnibus
missis, ut uocant, in pompa & processione,
ubi in auro & argenteo circumfertur Eucharistia,
ibi multum honoris externi exhibetur Deo, qui ta-
men nihil aliud est, q̄ derisio Dei, cum absit fides
& spiritus.

Proinde ubi non est spiritalis adoratio,
ibi prestat externam etiam prorsus omittere,
Et non deberet missa aut communio fieri, nisi in-
ter uere pios, uere affectos ad Eucharistiam.
Hic & deberet dari opera, ut ueri sacerdotes
uerique diaconi constituerentur, aut illa Bethauen
& templa Baal funditus tolleremur.

Nam illorū templorū & monasteriorum, que nunc
sunt, summus & precipuus cultus est illa pompatica,
fucata

fucata & externa adoratio, & ubi q̄ plurimum
adhibuerint cereorum, tympanorum, purpuræ,
auri, musici concentus, pulchre putant se perfunctos
officio suo. Et Pontifices Romani hæc quoq; con-
firmarunt, indulgentijs ad hoc datis, & sic orbem
replerunt hypocritis & Iudeis, Christum ridemibus,
& blasphemantibus.

Alia adoratio spiritualis, est uera & Christiana
adoratio, quæ omnibus externis utitur liberrime,
nec est alligata certis temporibus, locis, gestibus,
aut personis. Quilibet enim, qui spiritu adorat,
adorare potest, siue domi sit, siue ruri, siue sanus
sit, siue egrotus, siue liber, siue in carcere. Ibi non
est opus, ut in templo ad aram prostratus iaceas, pe-
ctus tundas &c. Sed puto plerosq; esse, qui adhuc igno-
rēt, quid hoc uocabulū, adorare, significet, qui nullum
discrimē teneant inter orare & adorare. Proinopor-
tet, ut primum ista distinguamus, tum commodius &
apertius hic de adoratione disserere poterimus.

Adorare non est opus oris, quemadmodum ora-
re, precari & obsecrare, sæpe tantum opus est oris
& labiorum, Orare, possis dici, quando tantum
uerba orationis, ut Psalmos, aut Pater noster recitas.
Sed precari est, quando simul in oratione & illis uer-
bis, aliquā necessitatē propono aut aliquid, quod impe-
trare cupio, quemadmodum eiusmodi preces sepe
tem continentur in oratione dominica, Obsecrare est
quando

quando Deū simul in illa oratione & prece ob-
testor, per nomen sanctum ipsius, per misericordiam,
per Christum &c. Ad hæc est adhuc, Intercessio pro
alijs, & Gratiarum actio.

Adorare uero nullum illorum est, neq; enim est
opus oris tantum, sed totius corporis, Adorare .n. est
inclinato capite suppliciter prosterni, & per genua
procumbere &c. Idq; facere in signum reuerentia,
agnoscendo potestatem & imperium, haud aliter atq;
mos est, nec uoce edita, adorare Reges & Principes,
& quemadmodum, hodie Papa, Episcopi, Abbates
& id genus hominum patiuntur se flexo poplite,
nudato aut demisso uertice adorari. Talis externa
reuerentia, & ille totus supplicum gestus, est in
scriptura adorare.

Et plane accidit inscitia, ut hoc uocabulum adorare
uersum sit in germanico, anbeten, Nam anbeten in ger-
manico, sonat magis adorationem oris, q̄ illum ges-
tum. Et nisi adeo usu receptum esset, uellem adhuc
reddi, ehrerbieten, uel ut Ebraeum uocabulum ha-
bet, neigen, Proinde legimus in scripturis, adoratio-
nem hanc indiscriminatim, eo modo, exhibitam Deo
& Regibus, quemadmodum & hodie uidemus
hunc gestum suppliciter & reuerenter se demittendi
iuxta exhiberi Deo & mundi Magnatibus.

Ex illa externa adoratione nunc potes cognosce-
re, quid Christus uocet uere in spiritu adorare, nem-

C pe coram

pe, coram Deo toto affectu, toto pectore humiliari
& prosterni, sic ut agnoscas te esse totum plasma &
creaturam Dei, totamq; salutem tuam pendere ex
Deo. Proin hæc uera adoratio nihil aliud est, q̄ ipsa
fides, aut certe summum opus fidei. Nam sic coram
Deo toto affectu prosterni & humiliari, nemo potest,
nisi constanter credat, totoq; affectu sentiat, Deum
suum patrem esse & dominum, a quo omnia bona
corporalia & spiritualia habeat, per quem a peccatis
& omnibus malis mera misericordia, sine ullis me-
tis, liberatus sit.

In summa, ubi non est in corde hæc flamma uiue
& effiacis & constantis fidei, de qua sæpe dixi,
ibi non est uera adoratio. Nam ubi non est fides, ibi
est ignorantia Dei. Qui. n. fieri potest, ut serio confi-
tearis, honores, aut adores, quod nunq̄ cognoueris?
Quantum enim ore tenus ibi appellem Deum patrem
& dominum, & externo cultu ac gestu adorem, ta-
men in corde manet ignorantia & contemptus Dei.
Vbi autem est fides in corde, ibi facile sequitur, ut
foris etiam inclines corpus & c.

Proin, in nouo testamento non facile discrimen
habeas, inter adorationem, qua Reges & homines
adoramus, & qua Deum adoramus, Nam idem est
utriusq; adorationis externus gestus, nisi q̄ Deum
adorantes, supplices suspicimus in cœlum & tun-
dimus

dimus pectora, at in corde tam magnū discrimen est,
q̄ inter lucem & tenebras, inter cælum & terram,
Nam cor Deum pro deo habet, principem uero
pro homine.

Vt nunc redeamus ad Eucharistiæ causam, qui non
credit esse ibi corpus & sanguinem Christi, nimirum
si ille neq; spiritualiter neq; corporaliter adoret. Qui
autē credit, quēadmodū credendū esse ostendimus, il-
le certe uel sine monitore corpus & sanguinē Christi
reuerenter & religiose tractabit. Nam si non nego ad
esse sanguinem & corpus Christi, tunc Christum ip-
sum adesse confiteor, uerba. n. Christi non fallunt,
neq; ipse Christus a corpore & sanguine suo esse po-
test separatus. Nam cum mortuus in sepulchro iace-
ret, nihilominus erat Christus, & dignus suo hono-
re, cum tamen ibi & mortuus iaceret. Ad hæc Paulus
nobis præcipit, ut honore inuicem nos præueniamus,
propter Christū spiritualiter in nobis per fidem in-
habitantem.

Hoc quidem uerum est, discriminē esse aliquatenus in-
ter Christū in cælo sedentē, & in Sacramēto aut cor-
dibus credētū existentē. Nam ideo est translatus in
cælestia, ut ibi eū adoremus & eū confiteamur domi-
nū cæli & terræ, mortis & uitæ, qui agit in omnibus
creaturis & implet omnia. Ephe. i. Philipp. z. At in
Sacramēto & cordibus spiritaliū seu Christianorum

C ij non est

non est ideo proprie, ut ibi uelit adorari, sed ut uiuificet tales credentes, corroboret eos contra uim omnium portarum inferi, quemadmodum & in mundum hunc uenit homo factus, formam serui accipiens, non ut in illa humilitate adoraretur, sed ut in seruiret nobis, iuxta illud, non ueni, ut mihi ministretur, sed ut ministrem.

Sed ex hoc non consequitur, prorsus ibi non esse adorandum, Nam multi adorabant eum conuersantem in terra, & ipse quoque eos non reijcit, ut Magi ex oriente accurrentes, cæcus ille Euangelicus & plerique alij calamitosi. Sed tamen ibi nondum erat tempus regni aut glorificationis, cui proprie deberetur adoratio, Sed liberum ibi reliquit, pro loco & tempore adorare, uel non adorare, neque enim ante ascensionem ad patrem, ullum uerbum aut præceptum erat, de ipso adorando, proim alicubi adorabatur, alicubi minus, Sic & hic in Sacramento liberum relinquere oportuit, ut sciamus, de hoc nullum esse præceptum Dei aut Christi, ut in Sacramento aut credentium cordibus adoretur, neque ad hoc potissimum est in cordibus credentium aut Sacramento, Sed tamen reuerentia & honor diuinus ideo etiam non est prorsus denegandus, Sed libere est utendum ibi adoratione, pro ut res ferunt & circumstantie.

Quamobrem dicimus nunc, illos non esse damnandos, nec hæresis accusandos, qui Sacramentum non adorant

adorant, cum non sit præceptum, nec Christus in hoc
ibi adsit. Quemadmodum non legimus Apostolos
adorasse Christum in coena cum illo discumbentes.
E contra, nec illi damnandi sunt aut hæreseos accu=
sandi, qui adorant. Quamuis .n. Christus non præ=
ceperit adorationem, tamen non inhibuit, sed sæpe
etiam in terra adoratus est. Liberum, liberum inq̄
relinquendum hoc est cuiuslibet fidei & spiritui.

Proinde, utriq̄; culpabiles sunt, qui sic in alte=
rutram hic partem inclinant, & eo nomine rixas &
contentiones, pugnasq̄; excitant, mediamq̄; uiam
omittūt. Hij cogere uolūt, ne adoremus, quasi non ad=
sit Christus, illi cogere uero, ut adoremus, quasi Chri=
stus proprie ad hoc sit in Sacramento, ut adoretur.

Talibus contentionibus à uia aberrantes, tandem
eo euaserunt, ut toti sint in externo cultu Sacramen=
ti, & uerba Christi negligant. Et talis deinde cultus
nihil aliud est, q̄ meram opus citra ullam fidem,
Cum .n. in hoc occupati sint, quomodo Christo q̄ plu=
rimum externi honoris & cultus exhibeant, ne semel
quidem cogitant, quid Christus ibi in ipsis operari
uelit, & quare adsit in Sacramento, quid ab ipso ad=
cipiant, quasi propter nostram adorationem & cul=
tum instituerit Sacramentum. Sic omnia ibi inuertunt,
ut in Sacramento opus suum proprium tantum re=
spiciant, & nihil interim cogitant, quid Christus per

C iij Sacramen=

Sacramentū in ipsis operari uelit. Quare sicut paulo
ante dixi, adhuc dico, In Sacramēto duo accurate esse
respicienda, primum uerbum Christi, deinde, panem
& uinum.

Verbum docet te expendere, quare Christus
ibi adsit & efficit, ut tuorum operum oblitus, tan-
tum opus Dei in te expectes, Nam Sacramenti huius
uis, est opus fidei, ubi non tu opera facias, sed meram
operationē Dei per sabbatismum omnium tuorū &
fidem in uerbum, in te patiaris. Proin, qui Sacramentū
uim sic in fide uerbi considerant, illi in spiritu ado-
rantes Christum, adorationis & cultus externi obli-
uiscuntur, Quemadmodum Apostoli in cœna, qui
tamen haud dubie summa gratitudine & ardentissimo
affectu cordis, uerum honorem Sacramento habe-
bant, Haud aliter atq; in Euangelium audientibus res
habet. Nam hoc reuera est uerbum Dei, cui certe
summus honos debetur, q̄ Deus ipse Deiq; potentia,
adsit in uerbo, Et tamen audientes Euangelium, assi-
demus arrectis auribus tantum, præterea ne cogitan-
tes quidem, de ullo externo honore Euangelio ex-
hibendo.

Panus uero & uinum, seu corpus & sanguis
Christi, seu externum Sacramentum, sine uerbis con-
siderata, facient te sollicitum de tuis operibus, & ab-
ducent te a spiritali & uero cultu, ueroq; usu Sacra-
menti, ut cogites, quō tu multum opereris, non quō
a tuo

à tuo cultu & opere sabbatisans, opus Dei in te patia-
aris, & fiet sic ex Sacramento merū negotium huma-
norum operū. Si uero in primis exerces in uerbis tuā
fidem, uerba apprehendis fide, tunc adoratio facile se-
quetur, aut sine peccato omittetur. Vbi autem illud
primū, fides uera nō est, neq; exercetur in uerbo, ibi
nunq̄ etiam pia erit adoratio, etiā si perpetuo adores,

Quatuor igitur genera adoratorum nunc re-
censebimus. Primi sunt, qui totam uim Sacramenti in
fide uerborum Dei sitam esse sciunt, quibus fidem suā
alunt, panemq; ibi & uinum .i. corpus & sangui-
nem Christi, ut certum sigillum promissionis diuine
accipiunt. Hi sunt omnium tutissimi, & forsā raro co-
prolabuntur, ut de adoratione, aut externo cultu sint
solliciti. Illi .n. consyderant opus Dei in semetipsis
& suorum operum, externiq; cultus obliuiscuntur.
Secundi sunt, qui cum in uerbo exercuerint suam fi-
dem, non nihil etiam ad sua opera deueniunt, Chri-
stum, scilicet, adorantes spiritualiter in Sacramento,
ex toto corde & affectu, ipsum agnoscentes saluato-
rem & dominum, deinde etiam foris geniculationi-
bus & gestu, supplices se ostendunt.

Tertij sunt, qui tantum intus adorant. Quarti
qui tantum externo cultu adorant, illi ut dixi, hypo-
crite sunt, de quo paulo ante satis multa. Sed ta-
men ubiq; uides illam adorationem Sacramenti, non

C. iij esse sine

esse sine periculo, ubi fides & uerbum non exercetur.
Quare tutius forsitan fuerit, cum Apostolis non
adorare, quam pro more illo uulgi adorare.
Non quod prorsus impium per se sit adorare,
Sed quod in adoratione plus inest periculi,
quam ubi omittitur. Quandoquidem alias na=
tura & ratio propendet eo, ut facile, negle=
cto uerbo & opere Dei, prolabatur ad sua opera.
Cum tamen fiducia in nostra opera ex diametro pug=
net huic Sacramento.

Non igitur quisq; hoc Sacramento nec alijs ope=
ribus Dei recte utitur, nisi spiritalis & uere pius,
quemadmodum impij non recte utuntur, siue adorent
siue non. Pleriq; etiam se torserunt inanibus quæstio=
nibus, quomodo anima Christi, deinde tota diuinitas,
pater & spiritus sanctus sint in hoc Sacramento. Mi=
rum uero, q; ijdem non solliciti sint, quomodo tot
Chiliades Angelorum, Sol & luna, & sidera immen=
si numeri, & hæc tota rerum uniuersitas simul cum
Deo suo sint in hoc Sacramento.

Hæ sunt cogitationes ociosorum spirituum &
Matæologorum, qui in hoc Sacramento uerbi & o=
peris diuini obliti, suis cogitationibus & operibus
ipsi occupant & implicant sese. Tu uero quo sim=
plicius his uerbis Christi adhæseris, eo rectus tuæ
conscientiæ consulere, Proinde, reiectis ipsorum
somnia

somnijs, concomitantia & id genus, gerris & liris,
apprehende uerbum Dei.

Primum, ut his uerbis fide adhaereas, Hoc est enim
corpus meum. z. Ibi ede & bibe, ut Deus instituit,
& uerbo ac promissione ale tuam fidem, Accipe
corpus & sanguinem Christi, & curiosis responde,
Deus non iubet me scrutari, quomodo diuinitas, fili-
us & pater filius & spiritus sanctus sint in Sacra-
mento. Satis mihi sit, me scire, q̄ uerbum hoc quod
aduo, & corpus quod accipio, sit uere uerbum &
corpus Christi & domini mei. Scrutationem tam im-
peruestigabiliū profunditatum relinquo Sophistis
uaniloquis, quibus cura est, quō totam diuinitatem in
Sacramento inuentent, Nobis satis sit uerbum, quod
audimus.

Hec est nostra sententia de adoratione Sacramen-
ti, an illa sit uestrae consentanea, uos ipsi omnium op-
time iudicabitis, Quod uero ad nos attinet, non pos-
sumus hic bona conscientia cedere ulli doctrinae, cum
tam clara, simplicia & manifesta uerba habeamus
Euangelij, Hoc est corpus meum & c. Hic est sanguis
meus. Praeterea non possumus, corpori Christi, qui
adest, denegare suum honorem, quanq̄ liberam esse
uolumus adorationem, ubi necessitas non postulat,
Maxime autem urgemus fidem in uerba promissionis
Christi,

C V Postremo

Postremo, sum pollicitus initio operis, me dictu-
rum, quid in doctrina uestra probem, aut etiam de-
siderem, quo uestra simul & nostra sententia eo cla-
rius in luce conspiciantur, si forsitan aliquando inter
nos conuenire possit.

Primo, testimonium perhibeo uobis, (quanquam for-
san meo non opus habeatis) uos de diuinitate recte
sentire, nempe unum esse Deum, tres personas, pa-
trem, filium & spiritum sanctum, unam diuinam sub-
stantiam, maiestatem & potentiam, opera & gloriam,
qui creauit coelum & terram.

Secundo, quod non pater, aut filius, aut spiritus sanctus,
sed tantum filius Dei, dominus noster Iesus Christus
homo factus sit, conceptus ex spiritu sancto, natus
ex Maria uirgine, passus sub Pontio Pilato, cruci-
fixus, mortuus & sepultus, tertia die resurrexit
a mortuis, propter iustificationem nostram. Ad haec
quod idem sublatus est in coelum, sedetque ad dexteram
patris, inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos.
Sicut non opera nostra, aut merita tollant peccata,
aut reconcilient nobis Deum, sed tantum opera &
merita Christi.

Tertio, quod ille spiritus sanctus, merita & gra-
tiam hanc, quae per Christum contigit, adeoque Chri-
stum ipsum declarat in cordibus credentium, ne fru-
stra foris offeratur haec gratia, aut uerbum frustra
predicetur

predicetur. Atq; hi, qui spiritu Dei sic edocti sunt & aguntur, hi sunt filij Dei, hi sunt Ecclesia & congregatio omnium electorum Dei, siue uiui sint siue mortui, quia meriti passionis .scil. & resurrectionis Christi facti sunt participes per spiritum sanctum. Item, q; apud illam Christi Ecclesiam & apud quodlibet membrum illius sint claues & potestas remissionis peccatorum, & predicandi Euangelij priuatim & publice, si a reliquis, qui eandem potestatem habent, ad hoc uocetur. Per quod ministerium uerbi & predicationem, secundum ueterem Adam mortificamur, & cum Christo a mortuis resurgimus, & expectamus resurrectionem mortuorum & diem Christi, plenamq; liberationem a peccato & plenitudinem spiritus, cuius primitias hic per fidem accepimus.

Hæc sunt capita Christianismi, in quibus sita est pietatis & doctrinae Christianae summa, citra quæ nemo saluatur. In his nihil est, quod in uobis improbem, & quatenus hæc sentit uestra apologia, pia est & Christiana.

Quarto, quod Papam & Episcopos & ipsorum humanas traditiones auersamini, etiam non improbo. Nam Christiana doctrina debet esse pura, Nam cum nobis semper sint dies azymorum, & pascha nostrum immolatus sit Christus .i. Corinth. 5. Certe
azymis

azimis panibus uesci debemus,

Quinto, q̄ negatis purgatorium, damnatis Mis-
sas, uigilias, cœnobia, monasteria & quicquid
per hanc imposturam erectum est, per omnia etiam
probo. Neque quisquam astringitur ad credendum
esse purgatorium, cum de hoc nihil sit in scripturis.
Sic autem Deus forsitan quosdam pios mortis & in-
ferni horroribus & tentationibus grauioribus exer-
cet, quæ uice purgatorij esse queant ipsis, de quo nemo
etiam scit præterq̄ ipsi, ideo non est docendum purga-
torium, Nam iudicia Dei sunt occulta, neq; à nobis
scrutanda.

Sexto, non ideo uos accusabo protinus hærese-
os, more sophistarum, q̄ neq; uirginem Mariam, ne-
q; ullum sanctum inuocatis, sed uni soli Iesu Christo
mediatori adheretis. Neq; enim quicq̄ de mortuis
sanctis proditum est in scripturis, quanq̄ sanctos ui-
uos in hac terra hortatur Apostolus, ut mutuo pro se
orent. Ad hæc, in confesso est, hac stulta & supersti-
tiosa inuocatione sanctorum, eo redactos esse homi-
nes ut ex Maria & reliquis sanctis, mera Idola fe-
cerunt, & citius ad ipsos in afflictione, freti opuscu-
lus & cultu illo, confugerint, quam ad Christum
ipsum.

Præterea quid in uobis desiderem, etiam nunc in
calce operis admonebo, Sed tamen imprimis rogo, ut
boni

boni consulatis meam admonitionem. Nam facile potestis cogitare, me nunquam admoturum calamum fuisse, nisi me charitas & studium uos iuandi impulisset. Ad hæc potestatem & ius uobis facio, quanquam alias hic debitor sitis, uicissim libere nos monendi, quid in nobis desideretis. Nos enim certi sumus, nobis per donum inenarrabile Dei contigisse, puram doctrinam & magnam lucem uerbi, etiam si sit infirmitas forsas adhuc & satis erratorum in moribus & uita.

Si papistæ illi mei tenelli & delicatuli initio ferre potuissent Christianam & liberam admonitionem, & argumentis potius, quam uolentia & uiribus pugnare maluissent, forsas res non erupisset in tantum motum, neque tantum ipsorum opibus & gloria, quod unice metuebant, esset ademptum. De uobis autem polliceor meliora, nempe uos non tanta arrogantia, tanta peruiacita contra ituros ueritati, quare & eo liberius uos monebo.

Primum, quid desiderem in uobis, quantum attinet ad Sacramentum Eucharistiæ, paulo ante satis ostendi, quanquam apud nos nec dum tam bono ordine in externa distributione Sacramenti omnia constituta sunt, ut de uobis audio. Orate uero & uos pro nobis, ut assiduum exercitium, tum uerbi, tum etiam charitatis & bonæ uitæ apud nos sit, presertim, cum è luto illo papistici regni nuper eluctati simus.

Quemadmodum

Quemadmodum audiui à uestris legatis , tunc
baptismi usus etiam adhuc apud uos incorruptus est,
offendit nos tamen , quod infantulos baptisatis ad fu-
turam fidem , quam adhuc adulti consequentur , uos
enim sentitis , infantulos non credere , & tamen im-
mergitis eos aqua baptismi . Ibi dico , præstare , pror-
sus omittere baptismum in paruulis , q̄ baptisare sine
fide . Plane enim intolerabile est pijs , sic Sacramen-
to & nomine sacrosancto Dei abuti frustra , Nam
Sacramenta neq; debent , neq; possunt sine fide ac-
cipi , si uero sine fide accipias Sacramentum , tuo mag-
no malo accipis .

Huic uestre doctrine opponimus nos uerbū Chri-
sti , Qui crediderit , & baptisatus fuerit saluus erit
&c , & dicimus requiri , ut ante ibi adsit fides ante
baptismum , aut plane erit derisio diuina maiestatis ,
ibi præsentis & gratiam offerentis , quam tamen ne-
mo acceptat . Proinde nostra sententia est , quod
paruuli per fidem Ecclesie , uerbum & orationem à
Satane sordibus & incredulitate purgētur , & sic eis
donetur etiam propria fides , ut sic uere baptisentur .
Cum idem donum per circumcisionem contigerit par-
uulis Iudeorum , qui circuncidebantur octauo die ,
quare non fieret in baptismo ? alias Christus Matth.
19. non dixisset , sinite paruulos uenire ad me , ipsorum
enim est regnum cœlorum . Sine fide enim nemo
accipit

accipit regnum caelorum.

Et si talis nostra sententia posset euerti, ut haud dubie est inuicta, malletem prorsus omitti baptismum paruulorum, q̄ eos sine fide baptisari. Neq; enim nomine sancto Dei abutendum est, etiam si de totius mundi salute ageretur.

Tertio mihi ualde probatur, q̄ de fide tam claro discrimine differitis, Nempe, quod aliud sit credere de Deo uel Deum, aliud Deo credere, aliud in Deum. Nam Satan etiam credit Deum, uel de Deo, scilicet, q̄ Deus sit, quod omnia creauit, homo factus sit, passus pro nobis &c. Item, credere Deo, sit credere uerum esse, quod Deus dixit, Sed credere in Deum, sit charitate & bonis operibus Deum imitari.

An ibi per omnia recte capiatis, quid sit fides &c, ex his intelligere non possum. Nam uerba uestra sic sonant, quasi adhuc multum tribuant operibus. Verum quidem est, q̄ credere in Deum nihil aliud sit, q̄ uiua & effiax fides, quam non nostrae uires, sed Dei spiritus in nobis operatur, & illam fidem non esse ociosam sed officiosam operibus benefaciendo & ferendo crucem, uerum est, Sed tamen uera natura fidei his uerbis nec dum est descripta, Nam semper adhuc opera sic sentientur obuersari cogitationi.

Nostra autem sententia est eiusmodi, Quando spiritus sanctus merita & opera Christi, foris per Euangelium,

gelium, intus per suum uiuum lumen in cordibus nobis aperit, donat & declarat, facitq; ut serio Euangelio crederemus, Tum illa cognitio in cordibus, nihil aliud est, q̄ firma fides, & certa fiducia in merita Christi, sic ut ex toto corde & affectu confidam, mea peccata oblita esse, non meis operibus aut meritis, sed opere & merito Christi, ut non indigeam ullis operibus meis aut meritis ad uincendum peccatum, mortem & Satanam &c, sed opera, quæ post facio, tantum sine indicia & fructus illius efficacis & ueræ fidei in corde, quibus in seruiio postea proximo, quemadmodum Christus in seruiuit mihi.

Et quod talis sit natura ueræ fidei, licet uel in falsa fide & hypocrisi agnoscere, ubi enim hypocrite uni alicui rei fidunt, præterea nihil addunt operis, ut qui in Missis fiduciam posuerunt, scilicet, fore se tutos ab omnibus periculis, si quotidie Missam audiant, illi præterea nihil addunt operis, quo se tutos faciant à periculis, sed huic uni rei adherent & hac una fidunt, scilicet quod audierint Missam, & ut maxime faciant aliquid quo tutiores sint, tamen si euadunt pericula, non alijs suis operibus, sed uni Missæ acceptam ferunt uniuersam salutem.

Sic & in reliquis uidemus, qui in cantationibus magicis, characteribus, aut carminibus fidunt, aut alijs Satanicis occupantur. Eundem in modum, multo magis
res se ha-

res se habet in uera fide, ut hoc nihil ad salutē nostrā
conducat, quod nos facimus, sed solum hoc, cui con-
fidimus toto pectore, nempe Deus & illius uerbum,
sic ut opera ad fidem & illius potentiam & uim
nihil faciant.

Sed hæc non est locus hic fusius tractandi, Posthæc
uero latius forsā de his disseremus, & argumenta ac
locos scripturæ conferemus. Neq; enim certabimus
igne & gladio, quemadmodum Papistæ solent,
ubi obmutuerint, ubi conuicti fuerint, plane imitan-
tes Chaldeos, ad pyram rapiētes, tanq̄ hæreticos
quoslibet, qui uel hiscere ausint contra Ecclesiam
Romanam. Nos scripturam audiemus & confere-
mus.

Quarto, hoc quoq; improbo, quod more papisti-
cæ Ecclesiæ septem ponatis Sacramenta, cum tamen
scriptura tantum duo norit, Baptismum & Eucha-
ristiam. Quāq̄ nunc in hoc ferendi sunt infirmi, tamē
nollem, ut hoc sic docere porro pergatis, cum non ig-
noretis duo requiri ad Sacramentum, scilicet uerbum
Dei & signum externum à Deo institutum, quorum
neutrum papistica Sacramenta habent, sed tantum
hæc duo.

Non est autem ferendum, ut humana inuenta
æquemus constitutionibus diuinis. Ad hæc, non pote-
ritis bona conscientia ullam traditionem humanam

D reijcere

reijcere, precipue Pape, si unam approbaueritis,
aut dederitis esse necessariam ad salutem. Scitis enim
ueram fidem, nulla alia re niti, quam solo uerbo
Dei.

Quinto, quod Episcopos, concionatores & diaconos,
qui uerbum prædicant & ministrant Sacramen-
ta, ipsi e uobis eligitis, habita ratione eruditionis &
uite, probo, Sed tamen hoc cum Euangelio pugnat, &
eos a coniugio arcetis, hoc enim speciem habet, con-
iugium sic esse contemptum apud uos, ut putetis ma-
ritos tam sancto ministerio, aut alijs officijs in Eccle-
sia non adhibendos.

Scitis autem perpetuam castitatem non esse tam
uulgatum donum, ut est munus doctrine & prædi-
candi, proinde, hoc non possum probare, placet ta-
men mihi, quod ne illos ipsos quidem prohibetis a
coniugio (modo officium uerbi relinquunt) quod
utcumq; pars aliqua est libertatis, qua adulteria &
scortationes uitentur. Euangelio tamen & scripturis
magis consentaneum est, totum uite genus liberum
relinquere quibusuis, nam etiam si essemus Christia-
ni & spiritualissimi, tamen non essemus meliores aut
sanctiores Abraham, Isaac, Iacob & omnibus re-
liquis Patriarchis, qui & ipsi Christiani & uerbi
predicatores summi fuerunt. Et si illos non impediuit
coniugium a summo cultu Dei, qui nos impe-
diat?

Hi sunt

Hi sunt articuli, quos ego noui, quibus in uestra doctrina desidero puritatem Euangelicam. Inter quos illum longe maximum habeo, quem supra de fide & operibus recensui. Quanquam enim non plane intelligere possim ex uestris scriptis, an pia sit uestra sententia, tamen uideo obscuriora esse uestra, quam ut ex his certo colligi possit, quomodo non operibus sed soli fidei tribuatis iustificationem. Video uos citare locum Pauli, Maior horum charitas, & epistolam Iacobi de operibus, sed de his alias.

Fieri autem potest (quemadmodum uestri etiam legati dicunt) ut uestram doctrinam simplicius Bohemice tradatis, quam latine reddi possit. Quo fit forsitan, ut nos aliter accipiamus, quam uos sentiatis. Nos tamen tum latine, tum germanice, tam clare & simpliciter nostra tradimus & docemus, ut non modo uos, sed quilibet certo intelligere queat, quae nostra sit sententia. Et ut maxime nos uestra non plane intelligeremus, tamen nostra uobis tam aperta & clara sunt, ut non difficile uobis futurum sit diiudicare, quantum nostrae sententiae cum uestro dogmate conueniat. Optarim enim, ut quam proxime ad nos accederetis.

Et ut ex animo moneam, dicamque quod sentio, uellem a uobis impetrari posse, ne sic, nescio qua persuasionem, studia linguarum negligeretis, sed au-

D ij raretis

raretis instaurari scholas, uestrosq; adolescentes
perpoliri bonis literis, & studijs linguarum Graecae
Ebraicae, Latinae. Persuasus. n. sum, & certo est cer-
tius, eū, qui utcumq; non infœliciter in sacris literis in-
tractatione scripturae sacrae uersari uelit, nihil actus-
rum, nisi linguarum praesidijs, Ebraicae Graecae & la-
tinae sit instructus. Qui enim tantum germanice, aut
Bohemice callens accesserit, qui fieri potest, ut non
plerisq; locis labatur & impingat fœdissime? Equi-
dem quotidie experior, quantum momenti habeat, in-
recte intelligendis diuinis literis, uel mediocri cog-
nitione linguarum, Id quod Augustinus & sensit & ex-
perientia didicit, qui uult in Ecclesia esse, qui Graecae
& Ebraicae linguae cognitionem habeant, praeser-
tim eos, qui sunt in officio docendi. Cum .n. utrumq;
testamentum & uetus & nouum, his duabus linguis
spiritus nobis tradere uoluerit, quid adsequantur in
scriptura, qui linguarum prorsus sint rudes?

Nunc uero commendo uos fratres Deo & gratiae
ipsius, qui potens est dare uobis hereditatem inter
sanctificatos omnes. Obtestor uero uos per charita-
tem Christi, ne meum scriptum in eam partem accipi-
atis, quasi uestris erratis me titillarim.

Sed tamen eū sciatis uos in toto orbe haecenus tanq̃
pestilentissimos haereticos proclamatos, hic testimo-
nium uobis perhibere uolui, quod propius acceda-
tis ad

lis ad puritatem Euangelij, quam omnes alij, quos
ego cognouerim.

Equidem sat scio, quam graui me onerabo inuidia,
sed nunc ad odium & inuidiam Satanae, per Dei gra-
tiam occallui, Audieram uos, quod ad externam uitam
attinet, per Dei gratiam digne ambulare Euangelio,
neq; ita apud uos regnare crapulam & ebrietatem,
adulteria & scortationes, & militares illas blasphe-
mias &c, quemlibet apud uos quaerere uictum ho-
nesta ratione suis manibus, neq; esse tot ociosos ho-
mines & terrae pondera, quot apud nos sunt. Proin,
cum externam uitam uestram audirem à plerisque pijs
laudari, non potui me continere, quin indicarem
uobis, quid in fide uestra & doctrina, quam imprimis
intus in corde uestro uellem esse sincerissimam & pu-
rissimam, desiderarem.

Apud nos enim germanos, qui, quod ad ebrieta-
tem & quorundam a sotiam attinet, ueluti in qua-
dam Sodoma & Babilone habitamus, non uideo, quo
modo tam honesta & pia ratio externae uitae consti-
tui possit, nisi Deus aliter rebus consulat, Sed qui
uerbum Dei & tantam lucem uerbi nuper exortam
habent, sunt tanquam luminaria in medio nationis
prae & tortuose.

Nos autem optamus, eam lucem contingere &

D iij cōmuniens

communem fieri omnibus, omnesq; nostro uerbo
edificari, atq; utinam nos alij quoque edi-
ficent, ut mutuo proficiamus per
gratiam Christi Iesu
domini nostri
AMEN.


FINIS.

VVITTEMBERGAE

apud Iohannem

Lufft.

1 5 2 6.





Th 3874

ULB Halle


3

003 240 304



M.C.





Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

